

# DISSERTATIO 6.

DE

## T E N E S M O .

QUAM Deo duce, & auspice Dei-pa-  
râ, tueri conabitur in Augustissimo  
Monspeliensi Apollinis fano, ab horâ  
octavâ ad meridiem, die      mensis  
Martii anni 1749. FRANCISCUS-  
NICOLAUS PELLIER Agathen-  
sis apud Occitanos, Artium libera-  
lium Magister & Medicinæ Alumnus.


PRO PRIMA APOLLINARI LAUREA  
*Consequendâ.*



MONSPELII,

Apud AUGUSTINUM ROCHARD, Regis & Universitatis  
Typographum unicum 1749.





R. R. D. D.

PROFESSORES REGII.

Illustrissimus D. D. FRANCISCUS  
CHICOYNEAU, Cancellarius  
& Judex, Regi à Secretioribus Con-  
siliis, Archiatrorum Comes.

DISPUTATURI.

R. D. PETRUS RIDEUX, *Decanus.*

R. D. ANTONIUS MAGNOL.

R. D. HENRICUS HAGUENOT.

R. D. JACOBUS LAZERME.

R. D. EUSTACHIUS MARCOT, Regis Me-  
dicus perpetuò Ordinarius.

R. D. ANTONIUS FIZES.

R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.



A L M Æ

UNIVERSITATIS

MEDICINÆ

M O N S P E L I E N S I S

STUDIOSIS

ET CONDISCIPULIS,

AMICISQUE CARISSIMIS,

THESIM

D. D. D.

FRANCISCUS - NICOLAUS

PELLIER

AGATHENSIS.



A. L. M. A.

UNIVERSITATIS

MEDICINAE

MONSPELIENSIS

STUDIOSIS

ET CONDISCIPULIS

AMICISQUE CARISSIMIS

THESSIM

D. D. D.

FRANCISCUS - NICOLAUS

PELLIER

AGATHENSIS



# DISSERTATIO

DE

## TENESMO.



TENESMUS est assidua egrendi cupiditas, in quâ nihil omninò aut paucum quidpiam mucosum, cruentum, purulentum vel ex utroque mixtum excernitur.

### *DIFFERENTIÆ.*

1<sup>o</sup>. Pro qualitate materiæ excretæ, ut patet, tenesmus alius mucosus simpliciter, alius purulentus dici potest.

2<sup>o</sup>. Alius idiopathicus est, alius symptomaticus; prior à proprio recti vitio, posterior à labe vicinarum partium producitur, ut ex mox dicendis obvium fiat.



6  
CAUSÆ.

Cùm ad alvum naturaliter deponendam necesse sit, ut fæces ad extremitatem recti appellentes, mole, pondere, aut acrimoniâ podicem irritent, indeque fibræ ejus carneæ, levatores ani, diaphragma & muscoli abdominales sympathicè contrahantur, sequitur futurum necessariò ad assiduos dejiciendi conatus, ut constans fiat in extremo recto irritatio.

Irritabitur autem assiduò rectum & solito fortiùs, vel quia materiæ in eo contentæ acriores sunt, vel quia rectum exquisitori sensu donatum factas impressiones, ut debiles, vividius percipit.

Acriores materiæ in extremo recto contentæ multiplices esse possunt. 1°. Mucus intestinalis acrior. 2°. Humores summè irritantes qui totam intestinalem viam decurrunt, ut in fluxu dyssenterico. 3°. Vermes in recto latitantes, præsertim ascarides. 4°. Pus acre ex recti ulcere aut fistulâ ani prodiens.

Mucus intestinalis acredinem contrahet, si sanguis à quo procedit parem diathesim obtineat: quælibet ergò acriorem sanguinem efficient, ea inter causas tenesmi remotas recenseri meritò poterunt.

Humores acres à superioribus intestinis



continuò suppeditati similiter tenesnum producent, si, post copiosam dejectionem, quæ supersunt materiæ obsequiosæ non sint, sed tenaces, viscidæ, glutinosæ.

Ascarides in recto congesti subsultibus vel morsibus tunicam recti impetent, eamque stimulant; causæ ergò quæ verminationi ansam dabunt, pro causis tenesmi remotis habendæ sunt.

Purulentus denique humor vel ab ulcere recti, vel ab ani fistulâ effluens vellicabit acrimoniâ suâ podicem & ad desidendum sollicitabit, ut cuilibet attendenti manifestum est, atque adeò ulcus recti aut fistula ani, insimul causæ omnes præviæ quæ tales morbos inferre valent, tenesnum remotè parient.

Porrò rectum acutiùs sentiens assiduas à contentis materiis irritationes patietur, si phlogosi, inflammatione, aut ulcere laboret, vel si mucò quo obducitur denudatum salinis & exaltatis fœcum partibus pateat.

Inflammabitur rectum, quia præpeditur in ejus substantiâ sanguinis circuitus vel obtumentes hæmorrhoides internas, quæ ipsæ dolentes tenesnum per se excitant, ut accidit mulieribus utero gerentibus maximè sub finem graviditatis, vel à calculo vesicæ urinariæ mole suâ premente aut acutie distrahente, vel ab inflammatione aut exulcera-



tione vesicæ urinariæ, vel prostatarum, ut in gonorrhæâ virulentâ, vel à vicinâ anifistulâ, vel denique à causis cæteris quibus intestina inflammari diximus.

Exulcerabitur idem intestinum rectum causis omnibus præviam ejus inflammationem inducentibus.

Denudabitur tandem muco suo, si materiæ dejectæ nimis acres sint, & muco abradendo idoneæ, ut in alvi fluxu Bilioso ac præsertim dysenterico contingit.

### *SYMPTOMATA.*

1°. Assidua egerendi cupiditas assidueque conatus, ex constanti recti stimulo profluunt.

2°. Nihil aut paucum singulis vicibus ejicitur, quia nihil aut paucum admodum in recti intestini cavitate continetur.

3°. Quod emittitur semper mucosum est, quia inter vehementes & continuos conatus, quidquid adhæret recto, quod viscidum est, exprimitur, undè interdum materiæ excernuntur, quæ pro intestinorum ramentis imponunt.

4°. Aliquando materia excreta mucosa simul est & cruenta, quia erosio ruptisque vasculis aliquot sanguiferis non nullæ cruoris guttulæ cum muco permiscentur.



5°. Hæc eadem excreta materia albicans mucosa purulentæ erit indolis , si adfit ulcus recti aut ani fistula , quæ pus suggerat.

6°. Ex utroque mixta erit materies mucosa & ex sanguine & ex pure , si ulcus aut fistula saniem effundat , tenuioribus scilicet vasis sanguiferis partis ulceratæ ruptione aut erosione apertis.

7°. Irritatus nimium podex dolet , præsertim verò , si tenetur phlogosi aut inflammatione , aut ulcere ; quia tunc acutiori pollet sensu & vel levi factâ impressione graviter afficitur. Dolorem autem dejectionis tempore intendi facile concipitur tum ab accedente materiâ irritante , tum quia contracto sphinctere pars dolens magis concutitur.

8°. Propter irritationem ani validam & assiduam , ita stringuntur fibræ sphincteris carneæ , ut liber sanguinis circuitus præpediatur , hinc hærentia sanguinis , quæ pro vario modo infarctûs , pro variâ sanguinis crasi , & vasorum dispositione , nunc in vasis venosis fiet & subsequenter varices sive hæmorrhoides , nunc verò in arteriosis minimis , undè ab hærente , aggesto , fervente sanguine & adaucto motu vasorum vibratorio excitabitur partis tumor , dolor , calor & rubor seu inflammatio , quam deinceps sequitur interdum ulcus.



9°. Inflammatio recti si gravis sit, impediet quominus sphincter ani dilatari possit ad permittendam excrementorum dejectionem, undè propter insuperabilem ejus resistantiam alvus constipabitur, replebitur tota intestinalis fistula à podice usque ad ventriculum quem tandem attingent materiæ stercorosæ, atque hic est casus passionis iliacæ, in quâ clysteres & suppositoria, ( si non nullis authoribus credere fas sit ) in anum vi intrusâ vomitione ejiciuntur.

10°. Inflammato recto, sanguis, derivato tramite, appellet uberiori quantitate ad vesicam urinariam ejusque sphincterem, quæ partes propter viciniam compati solent. Ergò inflammationi recti intestini adjungetur vesicæ aut ejus sphincteris inflammatio, quæ stipabitur stranguriâ, ischuriâ, aut saltem urinæ ardore seu dysuriâ.

Denique hæc inflammatio si tanta sit cum adjunctâ primarum viarum cacochyliâ, febrem, ut cæteris inflammationibus solemne est, cæterasque febrem acutam concomitantia symptomata advocabit: verùm si adsit ulcus febris potius lenta futura est cum totius corporis consumptione.

### DIAGNOSIS.

Tenesmus cognitu facilis est; à dysente-



riâ, cum quâ sæpè complicatur, discrepat.  
 1°. Desidendi cupiditate, quæ in dyssenteria, minùs frequens est, in tenesmo autem ferè continua. 2°. Quantitate ejectorum quæ major est in dyssenteria, in tenesmo pauca aut ferè nulla. 3°. Irritationis sede & tempore; nam in dyssenteria urgent dolores abdominis sive tormina, quæ excretionem præcedunt, in tenesmo verò irritatio vel dolor ad podicem refertur & ipso excretionis tempore exasperatur.

Causæ difficiliùs innotescunt, interim tamen eas medicus assequetur, si attendat ad antecedentia, comitantia, & subsequencia. An à vesicæ calculo, an ab hæmorrhoidibus, ab inflammatione aut ulcere ani, vel ab ejus fistulâ producat, signis quibus hæ affectiones indicantur, planum fiet. An ab ascaridibus aliisve lumbricis, dignoscetur, vel ex his rejectis vermibus eorumve portionibus, vel ex eo quòd ægri verminationi obnoxii antea fuerint. Tandem si horum affectuum signa abfuerint, & aliundè se prodant indicia nimix falsedinis humorum, tunc ab acrimoniâ sanguinis & mucii intestinalis tenesimum pendere pronunciandum.

### PROGNOSIS.

Molestus quidem & importunus morbus



est tenesmus, sed nullo modo per se periculofus, præcipuè si incipiens fit, & à causâ aliquâ manifestâ dependeat, ut v. g. ab ingurgitatione fructuum horræorum. Verùm si inveteratus fuerit & à causis gravissimis natales ducat, nimirum ab inflammatione recti, vesicæ, aut harumce partium ulcere, ab ani fistulâ, à calculo &c. Tunc ægri multum periclitantur.

In mulieribus prægnantibus abortum minatur, si diù perseveret, propter assiduos egerendi conatus quibus pressus uterus immaturum foetum præproperè ejicit.

### CURATIO.

Varianda curandi methodus pro causarum diversitate: itaque si tenesmus symptomaticus sit, & à calculo vesicæ aut hujus ulcere ortum ducat, usurpenda remedia, quæ his morbis debellandis idonea sunt, calculus scilicet extrahendus, inflammatio aut ulcus vesicæ convenientibus auxiliis suo loco proponendis tollenda, aut saltem mitiganda. si à fistulâ ani tenesmus excitetur, Chirurgicâ operatione opus est; si à vermibus podicem irritantibus, amara, oleosa, acida, mercurialia, purgantia præscribuntur; si ab hæmorrhoidibus, balnea, fomenta, cataplasmata hæmorrhoidum sectio, aliaque; si à mucositate



falsiore & à nimia sanguinis acrimonia, diluentia, humectantia, & demulcentia; denique si à phlogosi, inflammatione, aut ulcere intestini recti phlebotomia pro necessitate iterata, cæteraque medicamina inflammationi propria, detergentia, glutinantia, adstringentia curationem absolvent.

Quoniam verò tenesmus sæpè dissenteriaë effectus est, & à materiis acrioribus intestina decurrentibus ad podicem perductis ipsumque irritantibus producitur, eadem idcirco therapeia adhibenda est ac in dyssentia: vires itaque reficiendæ analeptics & roborantibus, restituenda ciborum coctio, cruditates eliminandæ, compescenda molesta recti irritatio tum narcoticis, tum clysteribus anodinis & demulcentibus ex lacte & vitellis ovorum, ex decocto intestinorum vervecum, ex mucilagine seminum psyllii & cydoniorum, oleo amygdalarum dulcium, &c. Non negligantur insuper suppositoria ex sebo hircino recenti non salito, linimenta ex oleo olivarum recenti, suffumigia ex thure, mastiche, decocto verbasci, florum meliloti & chamæmeli, fodus ex lacte tepido vel ex decocto tapsi barbati, radicis althææ vel liliorum, aliorumque emollientium.

FINIS.











